IRIMBERTUS ADMONTENSIS

Admont, um 1175 Seite 436

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

rantes. et incontinentie proposito. fidelium militantes. in ecclesia sua multiplicat. Mille quadringenti currus regi christo fiunt, dum predicatores ubique et bonorum operum perfectione. et euangelii ac decalogi expletione. fidelium ei deseruiunt. Duodecim milia equitum fiunt, dum fide. spe et dilectione. uel continentia. oratione. et meditatione. prudentiam. iusticiam. fortitudinem. temperantiam. uel initium. medietatem. perfectionem. et perseuerantiam. continentie. et spiritalis propositi sectatores peragunt. Siue tria per quatuor: siue quatuor per tria multiplicentur, duodenarii numeri perfectio completur. Rex salemon. currus et equites per ciuitates munitas disponit, quia christus idoneos ubique predicatores. et fideles boni propositi spiritalis sectatores. per diuersas ecclesias fide et dilectione sua munitas distribuit. Cum rege in ierusalem eos disponit, quia et in predicatione ubique laborantes. et sibi fideliter hic militantes. in celestis regni gloria secum regnare facit. Volo inquit pater, ut ubi ego sum. illic sit et minister meus. SEQUITUR

Fecitque ut tanta esset abundantia in ierusalem argenti. quanta lapidum, et cedrorum prebuit multitudinem. quasi sicomoros que nascuntur in campestribus. Abundantia argenti. est electorum multitudo hominum, qui uelut argentum igne examinatum et probatum. ubi erunt ab omni contagione peccatorum. Nomine lapidum designatur multitudo celestium spirituum, de quibus ezechiel loquitur, dum contra principem tyri inuehitur. Tu cherub extentus. et protegens, in medio lapidum ignitorum. Facit ergo filius dei, ut tanta sit in celesti ierusalem multitudo electorum hominum. quanta illic remansit multitudo electorum angelorum, iuxta illud legis latoris testimonium. Constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum israel. Filii quippe israel. celestes spiritus intelliguntur, qui sui creatoris faciem ab eterno contuentur. Iuxta quorum numerum terminum populorum constituunt, dum inter nouem illos choros sanctorum angelorum. electorum hominum sedes disponuntur. Sicomorus ficus fatua dicitur. Et sicomori in campestribus nascuntur, dum in humilitate uite presentis illi nutriuntur, qui uere stulticie imitatores efficiuntur. De qua apostolus loquitur. Nos predicamus christum crucifixum, iudeis quidem scandalum. gentibus autem stulticiam. Si quis uult inter uos sapiens esse stultus fiat ut sit sapiens. In illa ergo celesti ierusalem. a christo rege. multitudo cedrorum prebetur. quasi sicomori qui in campestribus nascuntur, quia qui hic in presentis uite deiectione. crucis imitatione propter christum humiliantur. illic eterne incorruptionis celsitudine sublimantur. De hac multiplicatione electorum psalmista collaudat creatorem dominum. Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. Altitudo quippe dei. sunt sancti angeli, nulla umquam infelicitatis uel miserie deiectione humiliati. Secundum quos filii hominum multiplicantur, dum ad electorum angelorum numerum. de huius uite miseriis. electorum hominum termine in superna illa ierusalem congregantur. Sequitur.

Et educebantur equi salemonis. de egypto et de choa. Negociatores enim regis emebant de choa, et statuto pretio perducebant. Equi salemonis educuntur, dum fideles qui per emundationem anime et corporis. sessorem habere dominum promerentur, creatoris sui seruituti per omnia subiciuntur. Qui profecto de egypto et de choa educuntur, dum de ignorantia dei et sui. per excussionem ueteris ac noui testamenti eripiuntur. Egyptus enim tenebre uel tribulatio coangustans interpretatur. Choa excussio dicitur. De egypto ergo et de choa equi educuntur, dum de tenebris ueteris testamenti. per excussionem doctorum noui testamenti. fideles christi ad cognitionem sui domini adducuntur.